

cutienda esse? Quid de eodem ipse Lutherus senserit, legimus T. I. Epist. Ep. 23. ad Spalat. p. 23. *Quod si desideras, inquit, in vernacula tua veterem & puram Theologiam legere, eme SERMONES TAULERI, Monachi Prædicatoris.* Nullibi enim, neque in lingua latina, neque germanica PURIOREM vidi theologiam, quæ salubrior esset & cum Evangelio melius concordaret. Idem in Epist. 108. ad eund. dicit: *Rogote adhuc semel, crede mihi in hac re, & fac, quod tibi dico. Compara Tibi Taulerum, quod jam antea monui, si forte eum acquirere poteris, ut facile te hoc posse credo. Hic sane est liber, in quo puram adeo & salutarem invenies doctrinam, ut omnia, quæ jam docentur - - nihil sint, nisi ferrum & terra cum illa comparata.* Innumera alia nunc non attingo. Ex iis solis abunde liqvet, nec Taulerum tanti criminis salva veritate argui posse, nec omnia, quæ huic vel illi minime probantur, respuenda esse. Verbo B. Arndii ejusque Scriptorum hac occasione mentionem injicio. Constat inter omnes, olim quosdam extitis, imo usque huc multos existere, qui variorum errorum imprimis libros de Christianismo insimulant, in quo illi consistant, quid periculi secum ferant, quem fidei articulum subvertant & qua ratione illud demonstrari queat? ipsimet nescientes. O infelices declamatores! O cœcos adversarios! O turpisimos obtrectatores! Legant isti, si modo lectionis & Autoris intentionis capaces sint, Præstantissimi Dn. Joh. Ernesti Gerhardi D. & Prof. Theol. in Academia olim Giessensi Epistolam ad Amicum de Obtrectationibus, quibus B. Johannes Arndius cum libris suis de vero Christianismo expositus fuit, & derivata hinc in B. Johannem Gerhardum calumnia, quæ simul maculam famæ suæ aspersam abstergit. Ibi inter alia innumera seqventia leguntur verba: *B. Joh. Arndium una cum sacris suis laboribus variis obtrectationibus & calumniis lacesitum fuisse in vulgus notum*

C

notum